

953
16

THESES
De Patria potestate,
IN ACADEMIA ARGENTORAT.
ad disputand. mense Julio propositæ.

EAS AVCTORE & PRAESIDE
D. Ob. Giphanio, tuebitur eruditus
adulescens M. Iosephus Engel-
hardus Eppingensis.

Univ. Stat.
Münster



ARGENTORATI
Excudebat Nicolaus Vvyriot, Anno
M. D. LXXVII.

Theses de patria potestate.

Thesis prima.

Liberos homines uel esse sui iuris, uel in potestate, quam patriam usurpamus.

II.

Neminem enim posse esse partim sui iuris, partim in potestate non magis, quam ad tempus esse filium.

III.

Patriam autem potestatem esse uim ac potestatem ciuis Rom. in liberos suos domesticam & summam, secundum ciuitatis tamen nostre iura.

III.

Esse namque eam non iuris gentium, ut quidam putant, sed iuris ciuilem, siue ciuium Romanorum propriam.

V.

Et quidem lege Regia, ut Ulpianus ait, siue moribus apud eos introductam.

VI.

Nam qui eam iuri gentium siue naturæ tribuunt, inde eos falli, quod pietatem, obseruantiam, & reuerentiam parentibus debitam à liberis, cū patria potestate confundant: quæ multis tamen in rebus differunt.

VII.

Verbi gratia, patriam potestatem esse patris tantum, & in eos duntaxat liberos, qui sunt in po



testate, iusticq; dicuntur: illam obseruantiam (que iuris gentium, & Philosophorum patria potestas dici potest) utrique parenti conuenire aut debere, tam a spuris, quam a iustis, hisque siue in potestate, siue emancipatis, etiam a seruis: eandem ne quidem morte, nostram siue ciuilem alijs quoq; modis præter mortem, dissolui.

VIII.

Perperam igitur & imperite eos quoque facere uideri, qui uel ex sacris religionis Christianæ monumentis, uel ex profanis poetarum, oratorum, historicorum, philosophorum libris & scriptis, exempla, aut sententias ac dicta, quæ de obseruantia illa ac potestate iuris gentium agunt, ad ciuilem hanc potestatem torquent & accommodant.

IX.

Ex his iam perspicuum esse, patriam potestatem, qua de re agitur, neq; in peregrinos, neq; in seruos cadere: atque adeo ne mulieres quidem, liberos in potestate habere.

X.

Eum quoque qui in alterius est potestate, licet patrem, non habere liberos in potestate.

XI.

Porro, Eam adquiri quidem siue constitui, uel iustis nuptijs, uel Adoptione rite & legitime facta, uel Legitimatione, ut uocant.

Manifesti

XII.

Manifesti enim iuris esse, liberos, tam vulgo quam in seruitute conceptos. i. e. spurios & naturales, nisi legitimentur, ut loquuntur, siue iusti efficiantur, & sui: (quod his modis, Matrimonio, Oblatione curiæ, Principali rescripto, & Nominatione filij, de quibus Nouel. 12. 74. 89. & 97. fieri potest.) nec esse in patris potestate, neq; pro liberis haberi, iure ciuili.

XIII.

Quod ad Sententiam iudicis attinet, quem quantum modum vulgo faciunt, quo liberi in potestatem redigantur, eos non tam suos fieri, aut in potestatem redigi, quam declarari.

XIII.

Solui autem siue tolli patriam potestatem, aut Morte, eaq; tam ciuili, i. e. maxima ac media capitum deminutione, quam naturali, aut Emancipatione.

XV.

Plane moribus nostris, non tantum capite damnatos, (quos glossographi non recte seruos pœnæ uocant) sed eos etiam qui uel uinclis siue carceri perpetuo mancipati, uel qui ad remum dati, uel exilio perpet. bonisq; fuerint multati (quos uere exules. i. e. deportatis ueterum, ut alios quos vulgo uocant bannitos; relegatis similes uocare licet) patriam potestatem amittere; bello captos non ite.

XVI.

Reos quoque capitis, nondum tamen damnatos, eam non amittere.

XVII.

Restitutos autem in integrum à principe, amissam recipere: non secus atque postliminio reuersos,

XVIII.

Verius quoque uideri, liberos à parentibus expositos, & ab alijs collectos, aut susceptos, ut patria potestate liberari, ita eorum qui collegerint, seruos non fieri.

XIX.

Plane honore siue magistratu, aut dignitate, militia, furore: doctura quoque, presbyterio, & monachismo (de quo tamen plerique interpret, ad cap. indecorū. Ext. de ætate & qualitate, & ord. & c. aliter, sed nullo iure, statuunt.) ius patriæ potestatis non solui: exceptis iure nouo, Patriciatu, Consulatu, dignitate Consularium, Præfectura, tam Prætoriana, quàm Urbis, Magisterio militū, & Episcopatu.

XX.

De Matrimonio, iure quidem ciuili patriam potestatem eo non tolli, sed moribus & Germaniæ, & Galliæ, aliter receptum uideri.

XXI.

Quemadmodū & in eo mores nostros à iure dis-

discessisse; quod iure ciuili maritus, siue pater familiæ, siue filius familiæ, uxorem non habeat in potestate: moribus nostris, uel in potestate, uel certè in manu (quod & olim Romæ tribus modis, confectione, coemptione, & usucapione fiebat) habere eam uideatur.

XXII.

Ceterum, Vt patrem non cogi emancipare filium, nisi extra ordinem, in his causis, si uel contra pietatem pater filium male adficiat, uel sub hac contemplatione, ut liberos suos emancipet, sibi relictum agnouerit; uel ipse filius per arrogationem factus, id sibi non expedire postea probauerit:

XXIII.

Ita nec filios, tam naturales, quàm emancipatos, aut redigi in potestatem, nisi ingratos: aut emancipari posse, inuitos.

XXIII.

Iam uero de uisus iure patriæ potestatis, quod tripartitum facere, siue ad tria summa iuris capita redigere possumus: Illud initio monendum uideri, ad ea tantum, quæ priuati sunt iuris, eam pertinere, ad publica non item.

XXV.

Quare & in publicis causis filium familiæ pro patre familiæ haberi, & in ijs, multoq; magis in Religione, quæ & pars iuris publici censetur, patriam potestatem in superhaberi, siue, ut quidam

uere

ueterum ait, iura parentum interquiescere.

XXVI.

Ergo, olim quidē patrem in liberos ius uitæ & necis habuisse, hoc est & uerberare eos, & relegare, & uendere, & occidere, non tamen in seruitutē redigere, potuisse.

XXVII.

Postea paulatim nō tantum dominorum, sed etiam patria potestate, remissiore & minore, partim moribus, partim legibus & cōstitutionibus, facta: (nostra certē etate, illa quidem extincta, hæc per exigua esse uidetur.) eo nos iure uti, ut pater liberos neque relegare, aut abdicare, neque occidere, aut etiam flagellis cædere, & inhumaniter tractare possit.

XXVIII.

Non tamen prohiberi patrem, filium, qui uel pietatem patri debitam non agnoscit, uel alias grauius deliquit, castigare iure patriæ potestatis, & priuatim in eum statuere.

XXIX.

Verum si grauiore res animaduersione egeat, aut filius in pari contumacia perseveret: eum magistratui offerre debere, ad pœnā, non tamen capitalem; occidere autem indemnatum, non posse.

XXX.

Excepto adulterio: in quo deprehensam *ἐπιούσα* filiam, a patre hodieq; occidi posse, si modo

&

& adulter incontinenti occidatur.

XXXI.

Vendere quoque hodie, aut pignori dare filios suos, una causa extremæ necessitatis aut alimentorum excepta, patri non licere.

XXXII.

De hæreticis autem & Iudæis, quod quidam uolunt, eos non habere liberos in potestate, iuri & rationi planē esse contrarium, siue filij sint Catholici & Christiani, siue non.

XXXIII.

Quod ad alia iura in personam attinet, liberos, neque sponsalia, nec matrimonium sine eorum consensu, quorum sunt in potestate, contrahere posse.

XXXIII.

Non cogi tamen filiumfam. uxorem ducere; quamuis filia a patre dissentendi potestas non aliter concedatur, quam si indignū moribus, uel turpem sponsum ei eligat.

XXXV.

Patrem quoque non cogi consentire, nisi uel iniuria prohibeat ducere uel nubere, uel etiā conditionem non quærat.

XXXVI.

Cogi autem eum dotem aut donationē propter nuptias liberis, etiam emancipatis dare, non tam iure potestatis, sed parentis nomine: nisi liberi ipsi sint locupletes.

B

XXXVII.

Tentari tamen posse, hac in re quandam potestatis quoque rationem haberi, ut cuius reliquiae in emancipatis etiam remanere uideantur.

XXXVIII.

Permissum quoque esse parentibus, liberis im-
puberibus, quos in potestate habent, testamen-
to tutores dare: emancipatis, spurjis, & naturali-
bus non item, quamuis & his dati confirmari so-
lent, ut & a matre dati.

XXXIX.

Posse autem tutorem esse non tantum patrem
familias, sed etiam filium familias, non minus at-
que Magistratum, Senatorem, Decurionem, &c.

XL.

Illud hic ut per absurdum, notandum uideri,
quod quidam Pragmatici scribunt, patrem non
tantum filiorum suorum, quos emancipauit, sed
eorum quoque, quos in potestate habet, tutorem
esse: idque ex iure patriae potestatis manare.

XLI.

Cum certis, sit iuris, filij familias nullum tuto-
rem esse posse: adeo ut etiam prior tutor, pupillo
postea arrogato, desinat esse tutor.

XLII.

Quare ita uerius distinguendum, patrem filij e-
mancipati quidem tutorem esse quasi legitimum:
in sacris uero constituti, bonorum tantum admi-
nistratorem seu procuratorem.

Iam

XLIII.

Iam de Rebus siue de Bonis, olim quidem & iu-
re ciuili, filium patri omnia acquirere, etiam ca-
strensia solitum: postea uero constitutionibus prin-
cipum, exceptum esse primum castrense, deinde
quasi castrense, tandem omnia bona aduenticia:
quorum hodie proprietates ad ipsos liberos, ad pa-
trem ususfructus tantum pertineat: quamuis ca-
strensia & quasi castrensia pleno iure sint liberorum.

XLIII.

Quinetiam aduenticia quaedam, ut, filio fami-
lias ab Imp. donata, uel ab alijs ita donata, aut re-
licta, ut ne ususfructus ad patrem pertineat, ple-
no iure esse filij.

XLV.

Hoc tamen ius nouum ita esse accipiendum,
si priuilegio suo filius familias utatur: alioqui fi-
lio intestato mortuo, ius antiquum quod cessauit
potius quam extinctum fuit, restitui: eaque bona a
patre iure peculij, non hereditario occupari.

XLVI.

An autem ea quae filius familias ex pecunia
patris ad negotiandum ei concessa, negotiando
adquisiuit, ut profecticia, tot sint patris, an uero
propter laborem & operam pars lucri & quaestus
ad filium pertineat, controuersum esse inter pra-
gmaticos: uerius tamen uideri, totum i.e. quaestum
cum data a patre pecunia, ad ipsum patrem, ut pro-
fecticium, pertinere.

B ij

XLVII.

Adeo autem uerum esse, præter ea quæ acquisitionem effugiunt, omnia patri acquiri, non tantum dominium, sed etiam possessionem, obligationem quoque, actionem, exceptionem pacti &c. & alia iura: ut etiam inuito ea illi & ignorantia acquirantur.

XLVIII.

Possessionem tamen ignorantia non acquirunt nisi si per seruum ex causa peculiari, & per procuratorem.

XLIX.

Hereditatem autem non nisi iussu patris præcedente, ipsi acquirunt: cum in bonorum possessione rati habitio sufficiat.

L.

De Vusufructu filio facti relicto, quod Accursus putat, patri eum non acquiri, uidendum ne iuri non sit consentaneum.

LI.

Quinetiam non ea tantum quæ sunt iuris, sed illa quoque quæ facti, filium patri stipulando acquirere: quamuis contra pater filio ea tantum quæ iuris sunt, stipulari possit.

LII.

Quod enim vulgo dicitur, Patrem cum filio unam quodammodo personam censerit: id in ijs potissimum quæ iuris sunt, habere locum.

LIII.

Iam, donare filiumfam. non posse, ne si liberam quidem

quidem peculij administrationem habeat: nisi aut iusta de causa, aut patris permisso uel expresso, uel tacito: semper quoque excepto peculio castrensi, & quasi castrensi.

LIII.

Nam de bonis aduenticijs ita distinguendum uideri, Ea, quorum ususfructus ad patrem non pertinet, filiumfam. liberè donare posse: alia, non, nisi patre consentiente.

LV.

Testamentum autem facere filiumfam. (nisi de peculio castrensi, & quasi castrensi) ne patre quidem consentiente posse: neque adeo de aduenticijs, siue ususfructus ad patrem pertineat, siue non.

LVI.

Testem quoque nec filiumfam. in testamento patris, nec patrem in filij testamento de castrensi peculio post missionem faciendo, atque adeo ne fratrem quidem, qui in eiusdem patris potestate est, nec heredem aut filium, aut patrem, aut fratrem, posse adhiberi.

LVII.

Patrem autem ut testetur, debere eos quos in potestate habet, heredes instituere, uel nominatim exheredare, tam natos quam postumos.

LVIII.

Et exheredationem quidem, non nisi pure, & cum elogio, uno certe, ex xij. illis, No. 115. exposi-

tis: Institutionem uero tam pure quam sub conditione modo arbitraria ualere: sub fortuita enim, nisi in eius defectum filius exheredetur, non ualere.

LIX.

Nepotem tamen, etiam eum qui in potestate proximus fuerit, sub omni conditione institui posse.

LX.

Quinetiam liberis suis impuberibus quos in potestate habet, posse quem heredem instituere: non tantum a se institutis, sed etiam exheredatis.

LXI.

Emancipatis autem praeteritis, ne hodie quidem testamentum esse ipso iure nullum, sed per bo. possessionem demum rescindi. neque enim Imp. Iustinianum l. maximum. C. de lib. praeter. suis emancipatos, sed filias nepotesque filijs tanatos quam postumos, ea in re exaequasse.

LXII.

Debere autem eum, cui fit haec substitutio, in testatoris potestate esse, tam testamenti, quam mortis tempore.

LXIII.

Quare neque filio naturali, aut spurio, etiam ei qui post patris mortem rescripto principis ius sibi impetrauit, neque a matre factam substitutionem pupillarem, sustineri.

LXIII.

Legiti

Legitimam quoque parentum hereditatem ad liberos primum in potestate, id est suos, tanatos quam postumos, ex xij. tab. pertinere.

LXV.

Suos enim heredes esse, qui in potestate morientis sint proximi: qui & ex eadem causa, i. e. propter patriam potestatem necessarii esse dicuntur, licet abstinendi ius a praetore ijs permittatur.

Hinc et illud, quod sui non adire, sed retinere, se immiscere, et existere: non repudiare, sed se abstinere dicantur.

LXVI.

Nam & ignorantibus & inuitis hereditatem parentum ijs adquiri, & dominium uelut continuari: ut neque tutoris aut curatoris auctoritate, uel consensu sit opus.

LXVII.

Hinc autem & illud esse, quod nepos in sui patris locum succedat, & a patruo licet gradu proximior in successione aui non excludatur.

LXVIII.

Quamquam nepotem post mortem aui conceptum, cuius testamentum demum post filij mortem defertum fuerit, neque per se, ut suum, aui succedere, neque ex successione in patris locum, quae hic nulla esse potest.

LXIX.

Obligari autem filium facta ex omnibus causis, tamquam patrem familias: quamuis alium sibi obligando, patri eam obligationem statim adquirat, excepto peculio castrensi & quasi.

LXX.

Ex Mutuo tamen propter S. C. Macedon. & ex Voto, (nisi patre permittente) quia nihil suum habeat, non obligari.

LXXI.

Tam uero, Actionem, tam ex contractibus quam ex delictis in filium suum competere, & cum eo agi posse in solidum, adeo ut & in carcerem, nisi satisfiat, eo nomine conici possit.

LXXII.

Nam cum patre, ex eo quidem quod filius contractit ac tenetur, de peculio tantum agi, non uero in solidum: nisi uel iussu patris, uel ab eo, aut nauis exercendae, aut tabernae seu cuiuslibet alij negotiationi praepositus fuerit.

LXXIII.

Ex delictis uero, ne de peculio quidem cum patre agi posse, nisi quatenus locupletior inde sit factus, aut nisi ex actione iudicati ex lite cum filio instituta, sed post contestationem mortuo & condemnato, in ipsum patrem translata.

LXXIII.

Plane ex causa Aduentic. hodie, si pater usumfructus sit amplexus, aequius uideri, cum ipso patre, quam cum filio, agi.

LXXV.

Ipsam autem filium nullam suo nomine actionem habere, nisi utilem seu in factum tam ex delicto, quam ex contractu.

Quare

LXXVI.

Quare ad hanc quoque dare procuratorem. Possit enim filium suum tam dari quam dare procuratorem, ad agendum, & ad defendendum,

LXXVII.

Ut autem inter patrem & filium suum, aut inter fratres, qui in eadem sunt potestate nullam nisi naturalem obligationem oriri:

LXXVIII.

Ita nec ullam inter eos litem esse posse, iure ordinario, nisi uel ex castrensi peculio, uel ex bonis aduenticijs, quae filio pleno iure adquirantur.

LXXIX.

Nam extra ordinem posse esse quasi litem inter patrem & filium in potestate, ut in alimentis, in restitutione. eam enim ab Imp. Iustiniano non omnino, ut quidam putant, sed in his tantum causis, si de parentum iniuria liberi conquerantur tam sui, quam emancipati, sublatam esse.

Parerga.

I.

Tutorem, pecuniam pupillarem hodie fenori collocare quidem apud argentarios, (hodie ad interesse apud Mercatores aut Aduenticas publicas, vocant) posse, sed suo omnino periculo, nisi quatenus ad alimenta sit opus.

Hoc tam clare & disertè nouo iure, id est, No. 72. (nam aliter iure ueteri etiam à Iustiniano ante Nouellas approbato cautum fuisse non ignoramus. l. Si res pupillaris 50. D. de administ. & peric.)

ut.) expressam est: ut mirum sit, uel tutores hodie passim in fa-
 ctis, uel pragmaticos, Bartol. Alexand. &c. & nuper Co-
 uarr, libro tertio Resolut. c. 2. ueritum non esse, aliter de iure
 respondere: adductos fortasse praua Accursi ad d. No. expla-
 natione, & auctoritate Cap. per tuas. 7. Ex: de Donat. inter
 uir. & ux. quod tamen de tutoribus aut pupillis minimè agit.
 Dices, grauius fore tutori, et iniustū quod tutor cogitur feno-
 ri eā collocare. at hoc falsiss. est. olim cogebatur ex edicto prae-
 toris, eam uel occupare fenore, uel, praedia, ea, comparare: cogebatur
 & res mobiles, ac praedia urbana uendere, & in le pecu-
 niam redigere. Sed haec necessitas constitutionibus principum,
 maxime Constantini & Iustiniani, remissa est, qui ait multo es-
 se praeclearius sortem in tuto collocare, quam appetitione usura-
 rum etiam de sorte decidere. nam, ut Constantinus ait, ipsius pe-
 cuni. & feneratori usus uix diuturnus, uix continuus & stabilis
 est: quo subsecuto intercedente saepe pecunia, ad nihilum mi-
 norum patrimonia deducuntur. Verum de hoc alius.

II.

Filium inuito patre, huic uel illi arti modo honeste
 ut litteris, militiae, Iuri, Medicinae, Matrimonio etiam
 animum applicare iure civili posse, iure gentium non posse.

ADMONITIO AD LE-

ctorem

Multa sunt in iure alia, quae ad parentes & liberos
 pertineant: Ut, An & quando Parentes à liberis,
 uel contra liberi à parentibus ali debeant, & de sumpti-
 bus à patre factis in studia liberorum: Ut, de Dote aut
 Donatione liberis danda, de quo tamen & sup. non nihil:
 Ut, Parentes non posse à liberis sine uenia in ius uocari:
 Ut, An parentes à liberis accusari possint: Ut, de Iniuria
 liberis facta ab extraneis, An & quatenus actio parēti-
 bus eo nomine competat, & an ea iniuria à parentibus,
 etiam

etiam inuito filio, remitti, uel de ea transigi possit: Ut, de
 parricidijs: Ut, de eo, An & quatenus liberi ob delicta
 parentum teneantur ac puniri possint: Praeterea de qua-
 drante legitimario, qui insignis est locus in Iure: De
 Successione mutua parentum, & liberorum inter se ab
 intestato: De Transmissione hereditatis, ut uocāt: De
 Gradibus cognationum in matrimonio, &c. Multa sunt
 quoque alia, Ut, An patri ad impium cultum & religio-
 nem hortanti filium, sit parendū: An filio, inuito paren-
 te, Monacho fieri liceat: An patris in remp. facta coniu-
 ratio, filio nota, ab eo sit magistratui indicanda: An filio
 magistratui pater de uia decedere, caput aperire debeat,
 &c. Verum ea pleraque, quia nō ex iure patriae potesta-
 tis, sed ex pietate illa, de qua supra distinximus, manant
 ac nituntur: & proinde non patris sunt propria, aut filio-
 rum fa. sed cum matre filijs q̄ emancipatis cōmunia: huc
 non pertinent. Quae quidem omnia, uel ex edicto prae-
 toris, uel ex certis legibus & constitutionibus, non ex me-
 ro iure civili, ut ius patriae potestatis: uel etiam ex ratio-
 ne naturae pendent, & partim à philosophis ac theologis
 explicari solent. Quemadmodum & illud, An patria
 potestas Romanorum, ualde grauis & magna, utilis sit
 reipub. & quia hac aetate patria potestas ferè nulla re-
 peritur, Sit ne ea, & quatenus restituenda, seu in usum
 reuocanda. Qua de re Aristot. lib. 8. de moribus ad Ni-
 comach. & Dionys. Halicarn. lib. 2.